



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

11. Prælati qualiter dispensare debeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

longitudines, superuacue latitudines, sumptuosa depolitiones, curiosæ depictiones, dum in se orantium retorquent aspectum, impediunt & affectum.

Quod prælatus non debet dispensationes leuiter facere.

CAPVT XI.

Multum cauendæ sunt leues dispensationes illi, qui congregationi præest. Bernardus in libro de præcepto & dispensatione: Nouit fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ibi tantum vsurpare dispensationem, vbi bonam possit habere re-
compensationem. In eodem: Remissio voti absque necessitate, non dispensatio, sed præuaricatio est. Idem in libro de consideratione: Non sum tam rudis vt ignorem nos positos dispensatores in ædificationem: non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio est. Vbi utilitas prouocat, dispensatio laudabilis est: utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio: sed dissipatio crudelis est. Ad dispensationem duo requiruntur, scilicet auctoritas, & caussa. Altero horum deficiente, non est dispensatio. Christus cruci suæ non adhæsit leuiter, sed affixus fuit fortiter: Sic claustralis cruci religionis affixus debet esse fortiter, nec facile ab ea recedere. Galat. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt. Bernardus. In crucē salus nostra est: tantum

Post 1. fol. à prin. libri numer. Lib. 3. aliquantulū ante finem.

ei

ei viriliter inhæreamus. Idem: Si pœnitentia nostra crudeli miseratione minuitur: paulatim gemmis corona nostra priuatur.

Quòd prælatus debet vniuersa temperare.

CAPVT XII.

*Cap. 64. parum à fine.
Eodem cap. circa finē.*

Qui monasterio præest, vniuersa temperare debet. Vnde Benedictus in regula: Abbas opera quæ iniungit, discernat & temperet. Item Abbas sic omnia temperet, vt sit quod fortes cupiant, & infirmi non refugiant. Temperantia ista experientiam requirit. Sicut enim vinum non bene temperatur, nisi prægustatione virtutis eius sentiatur: Sic prælati qui in conuentu nunquam iacent, vel comedunt, vel diuinum officium audiunt, onus quod conuentus sustinet, temperare nesciunt. Vnde non exhibent se patres vel prælatos, sed potius exactores; quales fuerunt exactores Pharaonis, qui à populo Deo consuetum numerum laterum exigebant: tamen paleas & quod consuetum erat eis, ministrare volebant. Exodi 5. Sic tales prælati, & contra regulam fratres onerant, & tamen eis necessaria non ministrant. Tales sunt imitatores Balaam, non parcentes a sinæ, sed eam cedentes vtique ad querimoniam. Num. 22. Congregationem enim, quæ vt iumentum apud eos facta erat, adeò stimulant, vt eam murmurare compellant. Prælatus timere debet gregi suo, exemplum Iacob. Genes. 33. Si greges meos plus in ambulando fecero laborare: morientur vna die cum ceteris gregibus. Et notandum, quòd sicut prælati temperare debet quæ sunt aliorum, sic & quæ sunt ipsius.